

conscendere quam primis neglectis temere ad secunda propriere. Cum enim virtus eloquentiae verborum splendore et sententiarum gravitate formetur, verborum primum decor est appetendus: tum demum sententiarum robur et lux intima est requirenda. Quam ob rem (et) sensus dilectusque¹ verborum semper a studiosis est habendus², ne violata magistrorum regula confusa et inordinata commenticiaque³ traditio prorumpat. Haec quidem generaliter prolata inconsultam extraordinariamque praesumptionem confutant. Nunc specialem⁴ huius verbi habeamus considerationem et, ut providentior via se ad hoc astruendum⁵ aperiatur, abtius quiddam censeo repetendum.

Ludi, qui diebus festis causa religionis ad delectandum populum a iuvenibus agebantur et quorum causa spectacula vario genere populo permittebantur, aut gymnici aut gladiatorii aut circenses aut scenici nominabantur; quos tamen sibi diabolus sub invocatione deorum, immo demonum voluit exhiberi⁶ a mortalibus, ut sub obtentu pietatis et religionis miserorum animas in suum ius transfunderet. Ergo principalis⁷ ludus, quem gymnicum diximus fuisse, velocitatis ac virium gloria constabat. Is locus, ubi exercebantur, gymnasium et hi qui exercebantur athletae vocabantur. Genera autem gymnici ludi extitisse traduntur: cursus, saltus, iactus, virtus et luctatio⁸. Sed quia priore tempore cincti athletae exercebantur, ne nudarentur, quousque quidam remisso cingulo prostratus exanimatusque⁹ in ludo apparuit: inde dicitur nata consuetudo, ut deinceps iuvenes nudi exercerentur campestribus in parte celanda corporis succincti¹⁰. Athletae autem Graeca appellatione a laterum complexu et commissione dicuntur, quibus comminus decertantes adnixa persistunt. Et ne alter alterum quocumque casu falleret aut astu¹¹ impediret, peruncto corpore olei liquamine exercitatio agebatur, donec iusta palma alteri eorum cederet. Id genus certaminis, quod tantum nudato et perfuso corpore agebatur, proprie ceroma vocatur.

Locus autem luctationi destinatus palestra vocabatur, quae trahit ethimologiam vel [ΑΠΟ ΤΗΣ ΠΑΛΗΣ i. e.] a luctatione vel [ΑΠΟ ΤΟΥ ΠΑΛΛΕΙΝ¹² i. e.] a motu urnae sortis, eo quod ad palestram sortito eligerentur. Est ergo sensus proverbii 'oleum et impensas perdit, qui mittit boves ad ceroma',

1) *Ad versum qui est a dilectusque ad confusa in marg. lumen posuit cod.* 2) *fort. primo loco habendus.* 3) *commenticia qu[a]e cod.*
 4) *spetialem cod.* 5) *astruendam cod.* 6) *exiberi cod.* 7) *principalis cod.*
 8) *luctacio et talia saepius cod.* 9) *examinatusque cod.* 10) *suncincti cod.*
 11) *hastu cod.* 12) *Graeca (quae nescio an non solum scriptor, sed etiam ex quo hausit Isidorus multo corruptiora positurus fuerit) om. cod.*